

24

D. F. G.
DISSERTATIO
DE
U S U
DIVERSITATIS
LINGVARUM,

QUAM,
Ex Consensu Ampliss. Facult. Phil. in illustri Academ.
Aboënsi,

P RÆSIDE
AMPLISSIMO atq; CELEBERRIMO VIRO
**D_{N.} CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,**

L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ord.
In Aud. Sup. H. A. M. S. diei XX. Julii,

Anni MDCCLIV.

Pro Gradu Magisterii
Publice defendet
STIPENDIARIUS REGIUS,

ANDREAS GOTTSKALK,
BOREA FENNO.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. mag. Duc. Finland.
JACOB MERCKELL.



§. I.



T perfectus homo esset, non satis erat, eum a supremo rerum Moderatore ratione atque aliis præclaris dotibus fuisse instructum, & tamen elingvem manere; sed requirebatur, ut sermone sive lingva sensa animi cum aliis communicare, & hinc orituræ voluptatis occasiones habere posset. Quantum autem usus atque etiam ornamenti generi humano afferat hoc ipsum, eidem sapientissime concessum, lingvæ donum, dicere supervacaneum est, cum omnes, quotquot loquuntur, nobis heic otium concilient. Quis enim ignorat, quod vitam, quam beneficio lingvæ optimam ducimus, hac deficiente, miserrimam, brutorum conditioni fere simillimam, imo ob imbecillitatem nativam, qua brutis etiam inferiores sumus, atque molestam educationem, nullam duceremus. Cum vero hodie non lingva, sed linguis loquamur, an hæ etiam quidquam nobis adant commodi? magis obscura & ambigua vide-

A

tur

tur quæstio. Quæ licet pleniorum explanationem admittat, nos tamen temporis, quod supereft, rationem habituri, paucissimis de ea agere constituimus; B. L. benignam censuram eo certius nobis promittentes, quo magis jam properato opus est.

§. II.

Nobis autem, de Usu Diversitatis Lingvarum jam pauca dicturis, mox occurrit famosissima illa, e Sacris Literis satis nota, confusio Babelica, quæ, uti L. L. discrepantiam poenæ loco rebellibus turris structoribus fuisse immissam urget, ita omnem simul usum ejusdem diversitatis evertere videtur. Sed licet, e Sacro Codice edocti, lubenter concedamus, Deo displicuisse conatus audaces incolarum terræ Sinear, utpote qui, celebritati nominis sui litantes, voluntati Dei de dispersione eorum in universas terras, resistere cogitarunt, & eum, ut poenas darent inobedientiæ suæ, confusionem L. L. introduxisse; hoc tamen non obstare contendimus, quin statuamus confusionem hanc magno fuisse emolumento rebus humanis. Aequum enim est, de sapientia Dei tenere, quod plures fines intermedios sibi propositos habeat, quibus tandem finem ultimum assequitur. Hinc & quæ primo intuitu tanquam poena hominibus inficta videbatur, mox, mutato visionis puncto, alia sitetur rei facies, & tanquam medium felicitatis humanæ promovendæ apparebit. Finis, quem Deus ultimo intendit est gloria ejus; quemadmodum autem confusione Babelica fines intermedios pœnam

pœnam refractariorum & divisionem eorum in universas terras obtinebat, ita in his iterum finis ultimus gloria ejus elucefecit. Quod utique de pœna constat, qua etiam hodiernum efficit, ut ab omni imperfectione & vitio alienus sit & deprehendatur. De gloria autem ejus, per dispersionem amplificata, postea quædam monebimus. En itaque omnisapientia Divinæ documentum insigne, quod ex hac pœna, plurima in genus humanum commoda derivare noverit, ut mox audiemus.

§. III.

Origini diversarum L. L. rebelles turris Babelicæ structores occasionem dedisse, Sacrae Pandectæ perhibent. Eadem quoque testantur, Deum, hac ratione, discessionem hominum in varias regiones terræ ursisse. Obverti tamen posset, omnes homines, etiamsi nulla ejusmodi existisset confusio, ne sic quidem usque in hodiernum diem unitatem lingvæ fuisse retenturos. Necessum enim erat, ut, multiplicato genere humano, cum eadem non omnibus sufficeret tellus, in varias discederent terræ plagas mortales. Jam vero ea est abundantia rerum in regnis naturæ, ut quocunque nos vertamus, aliæ semper occurrant, ne de eo dicam, quod plures, antea non cognitæ, adhuc tempore detegantur. Sic alia detecta rerum facie, aliis quoque nominibus opus erat, prioribus sensim ex animo deletis. Quo si acceperit mira ingeniorum varietas, jucundæ novita-

novitatis studium & quæ alia; necesse erat, ut
longe aliam adipisceretur formam lingua primigenia.
Plures hue referri solent caussæ, utpote cœli temperies aut intemperies, climatum ratio diversa, alimentorum potionumque conditio dissimilis, quæ omnia ad discrepantiam L. L. necessariam statuendam valent, quas tantum nominasse sufficiat. Sed etsi hæc non sine specie dicantur; nos tamen, præente testimonio Divino, affirmare non dubitamus, eos, qui in exstruenda turre Babylo-nica occupati erant, decreto Dei, de dispersione generis humani in universam terram, (quod etiam Noacho & posteris ejus patefecit Gen. cap. IX: 7.) obstinatis consiliis restitisse, adeoque dispersui per terram, quantum fieri potuit, præcavisse. Quemadmodum hoc illis exprobratur Gen. cap. XI: 6. Unde colligitur, quod non ultro a proposito resiliissent, sed variis modis, utpote amœnitate & fecunditate vallis, jucunditate cœtus, metu solitudinis & defectus alimentorum, quibus affverfacti erant, allecti nec non deterriti, limitibus quam arctissimis sese continuissent: & concedamus illos ampliores sedes sibi quæsivisse, hoc tamen non fecissent nisi cum maxima mora & spatio temporis, postquam, quotidiana experientia propriæ cladis & perniciei, id edocti, atque extrema quævis passi essent. Verum ne sic quidem in totam tellurem diffusi, sed longe angustioribus terminis contenti fuissent, quam postmodum factum est. Hæc autem vel ideo monenda fuere, ut appareat, disper-

spersionem generis humani & inde secutura comoda nos habere, quæ diversitati L. L., in quantum illa confusione labii humani debetur, grati referamus accepta; non autem diversitatem lingvarum fuisse necessarium consequens jam ubivis dispersi generis humani.

§. IV.

Posita sic extra omnem dubitationis aleam discepantia L. L. tanquam caussa mox secutæ dispersionis, videamus quænam incommoda hac evitarent secessione mortales. Indigentiam non modo earum rerum, quibus ad bene vivendum, verum etiam, quibus, ut quomodocunque vitam trahat, carere non potest homo, Babelicæ consociationi addictos pro præmio reportasse manifestum est, cum, a crescente indies multitudine hominum, adeo in angustum redacti fuissent, ut non amplius omnibus suppeterent media vietus quærendi; sed multi cogerentur, alienæ misericordiæ sese tradendo, etiam eorum augere necessitates. Sed nec ad incommoda inde profluentia difficilis est conjectura. Invidia enim non raro cum indigentia conjuncta esse solet; Sic etiam hi, ob meliorem aliorum fortunam contrastati, occasionem quæsivissent quodvis detrimentum illis inferendi. Quibus si accedant, quod necesse est, odium, dissidia, mutuæ cædes &c. non plus addi potuisset ad celerem ruinam in genüs humanum invehendam. Hisce vero omnibus, quia per peculiarem loquelæ confusionem,

sionem, introducta sermonis discrepantia validus
positus fuit obex; inde plurima in genus huma-
num derivata fuisse commoda, nemo facile ibit in-
ficias.

§. V.

FOs jam sequamur, qui ab intempestiva illa, cu-
jus mentionem fecimus, conglobatione, in has
& alias, easque diversissimas oras digressi, sedes fi-
xerunt suas, conspicentes, quænam illic offendere-
rint commoda. Natura illa mater sœcunda, & vel
mille rerum formas producens, quin, divitiarum
suarum multifaria frequentia, novam illis exhibu-
erit sui faciem, non est dubitandum; imo etiam
credendum, non minus diversitatem hanc insve-
tam rerum obviarum, quam urgentem penuriam
alimentorum, animum eis addidisse exquirendi,
quem fructum ex insolitis his objectis capere pos-
sent. Sic plurima detecta sunt eorum, quæ variæ
orbis partes, multimoda & uberrima sua abun-
dantia, in usum generis humani producunt, quæ
que omnino superflua viderentur, nisi essent, qui
iis uterentur. Sic non desiderabant homines occa-
sionem communi procurandæ felicitati. Opportu-
nitates enim naesti sunt longe majores, adeo ut in
societas varias abire, regna condere, & de iis,
quæ ad utilitatem publicam quid conferre valent,
legibus convenientissimis decernere possent. Hac
tandem via diverorum terræ tractuum opulentia
in mutuos usus commode converti potuit. En-
ventum,

*** 10 ***

ventum, quem L. L. diversitati debemus, gravissimum, effectuumque & utilitatum in hunc orbem multifariam redundantium, seracissimum.

§. VI.

Hec omnia gloriam Dei enarrare quis non videt? Inter res aspectabiles homines soli ratione condonabantur, adeoque soli apti & obligati erant, qui gloriam Creatoris cognoscerent & celebrarent. Ne autem coacti hoc agerent, ipsis naturæ librum evolvendum tradidit Deus, ex quo luctucentissima bonitatis, sapientiae & potentiae suæ specimina proferre possent, quibus ad laudes ejus decantandas excitarentur. Quemadmodum Apostolus, ex operibus creationis, *τὰ ἀρχὴν τὸν θεὸν λίγοις αὐτὸς διατίθεντες οὐδὲν θεωρῶν* cognosci posse docet Rom. I. 20. Quod si, uti evictum est, diversitas L. L. præstítit, ut hic ipse liber naturæ non tantum appetiretur, verum etiam evolveretur & revolveretur, ei utique debemus innumera illa ubivis obvia validissima argumenta, quæ nos jani extimulant, ad gloriam Dei concelebrandam. Eadem gloria Summi Numinis, per admirandam ejus cum hominibus œconomiam, ex discrimine gentium ubicunque terrarum magis agnoscendam, illustrior redditur. Id L. L. diversitati vel ideo debetur, quod hæc gentes a gentibus homines ab hominibus rite dignoscere doceat, unde & alia plurima derivari commoda probatu facile.

§. VII.

TRistis experientia testatur eorum e numero,
quæ

quæ societatem humanam disturbant erroneous etiam esse ac pestiferas sententias. Iitis si latius serpere & pro libitu grassari fuerit concessum; non poterunt non partium studia, dissidiaque inde aliaque mala oriri gravissima. Quamvis in ipso ortu suffocare istas ac extingvere non liceat: L. L. tamen discrepantia obstaculo est, quo minus tam facile disseminari, & in perniciem generis humani, præcipiti lapsu, ruere queant. Hac enim limitibus circumscribuntur hæ pestes, ultra quos ipsas progredi non permittitur. Hac hi ignes, quasi ultra alimentum non naëti, sponte consumuntur. Hac ejusmodi portenta opinionum malorumque feminæ, cum infelicibus genitoribus, eodem non raro conduntur tumulo. Multa etiam detimenta, quæ rudi & imperitæ plebi minarentur, si omnia sermone unico & vulgari ab omnibus legi possent, lingua eruditis propria a societate hominum arcenntur.

§. VIII.

JAm occurrentum nobis est iis, quæ de diversitate L. L. tanquam obstaculo, quo minus ad omnes gentes perveniret notitia veritatis cœlestis saluberrima, dici possunt. Tantum vero abest, ut obſtiterit diversitas L. L. veritatis hujus salutaris propagationi, ut potius ad eandem contulerit plurimum. Quanto enim magis, hac varietate, singulæ gentes discriminantur, tanto facilius admirandæ prvidentiæ, bonitatis, justitiæ & sapientiæ Divinæ specimina internoscuntur. Sic magis discerni &, ob oco-

nomiam Dei, per miracula varia & illustrissima vaticinia, quibus fata gentium indicebantur, exactissime impleta, satis notam, a reliquis separari potuit gens illa, cui revelationem impertitus est Deus, cum qua fœdus peculiare inivit, in quo tamen universale illud fœdus gratiæ, quod ad omnes homines pertinet, velut fundamenti loco positum erat. Sic etiam doctrina religionis quam commodissime, non tantum conservari sed etiam propagari, & apud gentes, penes quas justissima hac poena dudum, procul dubio, promerita, jam extincta erat, refuscitari potuit. Adeo ut, qui non prorsus cœcutire maluit, versari potuerit in luce. Ipfis itaq; imputent sibi ethnici, quod doctrinam cœlestem aut non acceperint, aut omnino repudiaverint.

Hoc ipsum vero eo magis patet circa tempora Novi Fœderis, cum dono lingvæ miraculoſo, Apostolis concesso, mirum quantum propagata sit veritas Evangelica. Dici enim non potest, quot quantæque ex hoc miraculo, in tanta celebritate hominum eveniente, scaturierunt atque redundarunt in seram posteritatem sequelæ optimæ gravissimæque. Si eodem sermonis genere convenisset orbis, caruisset eventu gloriosissimo, qui divulgandæ probandæque religioni nostræ sanctissimæ tantopere profuit. Conf. Albertum Holst, de diversitate L. L.

§. IX.

Sed videtur & demum hæc diversitas officere scientiis; cum lingvis addiscendis quantum impendimus, tantum aliis studiis utilibus decedat temporis,

poris, quod omne lucrificissimus, nisi ista, de qua
quæritur, idiomatum orta fuisset discrepantia. Hæc
speciem habent, primo intuitu: sub incudem re-
vocata, leviora videbuntur. Ætas tenera, quæ lin-
gvis occupatur, scientiis apta minus, memoriæ ex-
colendæ maxime idonea. Dantur & disciplinæ,
quas, dum lingvas addiscimus, usu paullatim vix
advertentes inbibimus, dumque acuitur memoria,
sensim scientiis aptatur judicium. Nec tantus lim-
gvarum necessariarum est numerus, ut non facili
negocio, pro cujusque instituto, minori temporis
dispendio queant addisci. Sic feliciora ingenia, &
lingvis & scientiis suffecisse novimus. Nec defunct
exempla, quibus constet, vix longius eos fuisse pro-
gressos, qui lingvis parum vel nihil impendentes,
scientiis unice fere fuerunt intenti. Porro difficul-
tas, si quam adferunt lingvæ variæ, non tam retardat,
quam acuit erecta ingenia, extimulat, alacrio-
ra reddit, quæ torperent alioquin & langvidius
fortasse etiam scientias artesque tractarent. Cum-
que mortalium ea sit indoles, ut alienis magis
quam domesticis, novis potius vel raris quam vul-
garibus usuque tritis capiamur; fit ut lingvæ exo-
ticæ sæpe majori cura & studio ac vernacula co-
lantur. Hinc amore lingvarum, scripta veterum et-
iam interdum in lucem protracta, sensus variis
versionibus investigatus, & scientiæ, de quibus a-
gunt, excussæ diligentius. Habent lingvæ singulæ
aliquid sibi proprium. Durior, v. gr. Germanica,
indeque, quod proverbio Gallis dicitur, aurigis pro-
pria.

pria. Nonnullæ vel ipso sono aures offendunt. Le-
niores alia ut Gallica, Svecana, reliquæ. Aliæ Poë-
si & Eloquentiæ aptiores, iisdem excolendis arti-
bus ansam præbuerunt. Sic & lingvæ lingvis per-
ficiuntur, eoque magis ad unam excolendam apti
reddimur, quo penitus ceterarum elegantiæ nobis
fuerint perspectæ. Quas si rite imitari, vel ad no-
stræ lingvæ genium applicare noverimus, cultiorē
habebimus multo ac alioquin essemus habituri ver-
naculam. Græciae lepores ad se transtulit suosque
fecit Latium. Utriusque spoliis ornata superbit Gal-
lia. Undique nostra, neglecta pridem, jam legere
flores & cultiori veste ornari, cumque ceteris de
palma nitoris ac elegantiæ contendere nititur. Quæ
omnia, saltem lentiori gradu procederent, nisi L.
L. variæ exemplis, nativo ornatu, & sibi propriis
loquendi modis docerent, excitarent, stimulosque ad-
derent. Et hæcce fuere, quæ, pro Usu Diversitatis
Lingvarum ostendendo, nobis adferre temporis an-
gustia, rationesque alia permiserunt. Ea vero, C. L.
rogamus, æqui bonique consulas, Summoque Lin-
gyarum Auctori nobiscum tribuas.

S. D. G.

